

fior est, quam ut a nobis jam nunc tota spectari queat. vid. interim libellus *Thomæ a Kempis* de imitatione Christi cum iudicio quidem legendus. Hæc, inquam est *μορφὴ ἡ χριστοῦ* forma Christi, quam Paulus introducere in Galatas hic allaborat. Patet hoc ex iis, quæ supra in hunc finem de occasione & scopo totius epistolæ ad Galatas disseruimus. Etenim Paulus eam formam Christi hic intelligit, qua exciderant Galatæ. Qua autem exciderant quæso? Equidem notitia credendorum etiam explicita non destituebantur; docuerat enim ipfos Apostolus cum Barnaba fratre omnem viam salutis. Ast assensus primum deerat generalis. Non enim assentiebantur doctrinæ de beneficio liberationis a iugo legis ceremonialis. Hinc specialis etiam assensus non poterat non desiderari. Si quæ adhuc admittebant capita de Christo, magis tamen ea admittebantur ob auctoritatem humanam, Petri verbi gratia & Apostolorum, qui Christi conversatione in his terris usi erant; quam ob *ἀπόδειξιν πνεύματος καὶ δυνάμεως*. Pariter fiducia in Christo reposita multis modis erat manca. Tandem vita ipsorum longissime aberat a *χριστιανισμῶσι*, dies observabant & menses, & tempora, & annos cap. IV. v. 20. Elegans autem profecto & emphaseos plenissima est, quam Paulus instituit, comparatio, imaginis Christi hætenus explicatæ, cum lineamentis & forma corporis humani. Sicut lineamenta corporis humani una cum corpore humano oriuntur, eisque homo haud prior est, nec posterior tempore, ita etiam imago Christi simul cum Christiano oritur, eaque Christianus haud prior existit. Expressioribus ductis lineamentis corporis humani, crescit corpus humanum. Pa-  
riter